





8672

QVAESTIO CONTROVERSA

1770, 33.

AN

FILIVS QVI TESTAMEN-
TVM PATRIS FALSVM DIXERIT
EXCLVDATVR A PORTIONE
LEGITIMA SI NON OB-
TINVERIT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE II. APRIL. ANNO CIOIOCCCLXX.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTOPH. GOTTHELF LEBR. NIETZSCHE

BIEBRA THVRING.

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIIS.



STELLE DER GOTTES DIENST
HILFVS OVI TASTAMIN
LICHINA S. NON OB
TINENT
ELIUS OVI TASTAMIN
D. CHRISTIANUS THEUS ERBENING
M. A. B. D. O. I. O. S. E. T. T. O.
D. S. T. O. R. I. A. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E. S.
D. S. T. O. R. I. A. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E. S.
D. S. T. O. R. I. A. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E. S.
D. S. T. O. R. I. A. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E. S.





AN
FILIVS QVI TESTAMENTVM
PATRIS FALSVM DIXERIT EXCLVDA-
TVR A PORTIONE LEGITIMA SI NON
OBTINVERIT.

§. I.



Liberos tanquam suos et necessarios he-
redes apud Romanos ipsa quasi na-
tura constituisse videtur, non aliqua
lex, quae tacite potius veterem illam
philosophiam comprobavit. Hinc
apud Decemuiros sancitum erat: AST
SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVVS HERES
NON ESCIT. caet. quasi, qui suus erat, non legis au-
xilio vteretur, sed natura ipsa ad successionem in defuncti
patris bonis constitutus. Hinc lex prospiciebat tantum,
quid iuris sit, si suus heres non extaret, et hinc proximi-
um



mum agnatum, hoc deficiente gentiles vocabat. Fuit sine dubio haec PAVLI cogitatio, cum scriberet *L. ii. ff. de Lib. et Posth. hered.* In suis heredibus inquit, evidentijs apparet continuationem domini eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse, quasi olim hi DOMINI essent, qui etiam vivo patre quodammodo DOMINI existimantur; unde etiam filius familias appellatur, sicut paterfamilios: sola nota hac adiecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit, itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur: sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. Hac ex causa, licet non sint heredes instituti, domini sunt. cact. Poterat facile *Corn. v. BYNKERSHOEK. Observ. L. II. Cap. I.* in eum incidere errorem, qui ex hoc dominio, quod verum nunquam dici poterat, sed per *περίκλησιν*, ut probavit *Luc. Van de POLL de Exheredat. et praeterit. Cap. VI.* omnem intestatae successionis causam deducebat, quae ne in liberis quidem, multo minus in agnatis et gentilibus vera esse poterat, ut olim docuimus in *Diff. de origine Success. in causa intestati.* Sed iam haec lis nostra non erit.

§. II.

At vero videtur haec opinio nonnulla capita iuris produxisse. Venit inde, ut, quem pater filium suum testamento neque instituisset, neque exheredasset; sed praeteriisset, ex iudicio centumviorum, apud quos teste, CICERONE *de Orat. Lib. I. cap. 38.* haec causa perorata fuerat, is testamentum patris nullum efficeret. Cum enim quodammodo dominus pecuniae paternae esset, i. e. natura ipsa heres, neque lege alia lata scilicet testamento hoc ius ipsi exheredatione videlicet ademptum, inferebant, adhuc heredem fore suum ipsasque testamenti tabulas nullas. Neque remota causa *querelae inofficiosi testamenti* alia fuisse videtur. Nam, si absque idonea causa pater suum exheredem scriberet atque ita dominio pecuniarum paternarum priua-

priuaret, non tantum contra officium patris egisse videbatur, sed cum egerit, insanae tunc mentis fuisse fingebatur. Ita sane centumviri, apud quos disputationibus Orationum, qui et scripti heredis et exheredati filii causam egerant, causa perorata fuerat rescindendo testamento dominium in pecuniam paternam conseruabant filio heredituo.

§. III.

Sed haec ipsa querela inofficiosi disceptationibus fore et rebus iudicatis introducta, admissa in subsidium tantum fuit, si alio remedio conseruare dominium sibi non posset suus exheres scriptus absque idonea causa. Admodum enim iniuriosum et penitus indignum videbatur, quod furiosum dixisset patrem exheredatus filius. Quare veniebat, vt, si eidem exheredato filio legatum in testamento reliquisset pater, vt indigno illud auferreretur filio si postea appareret, iuste eundem a patre fuisse exheredatum. Amissi huius legati causa vnice in injuria patri illata quaerenda. Testis in hanc rem *VLPIANVS* in *L. 8. §. 14. ff. de inoffic. test.* Ait: *Meminisse autem oportebit, eum, qui testamentum inofficiosum improbe dixit et non obtinuit; id, quod in testamento accepit, perdere: et id sisco vindicari, quasi indigno ablatum.* (vide tamen vande *POLL* cit. loc. cap. *LXXXIV. §. 15.*) *Sed ei demum aufertur, quod testamento datum est, qui vsque ad sententiam iudicum lite improba perseverauerit. Ceterum, si ante sententiam desitit vel decessit: non ei aufertur, quod datum est.*

§. IV.

Videtur vero haec legum dispositio causam dedisse controuersiae ad similitudinem motae et agitatae: *An, si filius patris testamentum falsum dixerit, neque in ea causa obtinuerit, an priuandus sit legitima portione, in qua heres in testamento, quod antea falsum dixerat, institutus fuerat scripto in reliquis bonis alio herede.* Adfirmat alii, alii contra negant,



utrique argumentis suam defendunt sententiam. Videamus, cui opinioni calculus addendus sit.

§. V.

IASON. *ad L. 2. C. de his quib. vt indign.* adfirmat utrique perdere legitimam portionem et ex eo testamento, quod prius falsum dixerat, neque obtinuerat, si postea legitimam petat, summouendum esse. *Recentiores* sequi hanc sententiam, testatur VAVDVS in *Var. Quaest. Lib. I. qu aest. XXVIII.* Prouocat IASON. suam comprobaturus sententiam *ad L. 5. §. 1. ff. de his quib. vt indign.* et *L. 6. C. ad L. Cornel. de falsis* et *L. 8. C. de his quib. vt indign.* Videamus, an etiam nitatur ipsis Legibus sua sententia. PAVLVS *cit. L. 5. §. 1.* scribit: *Ille qui non iure factum contendit, nec obtinuit, non repellitur ab eo, quod meruit. Ergo, qui legatum secutus, postea falsum dixit, amittere debet, quod consecutus est.* Sane nihil de quaestione proposita Paulus. Ais Iason: quidni, nonne adfirmat *amittere debet, quod consecutus est, qui falsum dixerat?* Pace tua, ego aliter sentirem. Nunquam enim a legato ad portionem legitimam ducerem argumentum, quippe quae portio hereditatis est intestato debita, quae nunquam, nisi ex iustissima et probata causa liberis eripienda. Quidsi etiam Paulus legatario abstulisset legatum, ob id, quod falsum dixerat testamentum, alia tamen causa est legitimae, alia legati, hoc enim a liberalitate, illa contra a legis necessitate pendebat. Dein nec maius auxilium inueniet in *cit. L. 6. C. ad L. Corn.* Quamuis enim PHILIPPVS, A. et PHILIPPVS C. Culpio rescripserant: *Qui falsas tabulas dixerit, nec obtinuerit: ad defuncti iudicium aspirare non potest;* tamen non hic sermo de legitima illa ab intestato debita portione est, sed de testatoris liberalitate, quae a defuncti iudicio pendet, non a legis necessitate, quod obseruamus in quarta legitima. Ita quoque comparatum est cum argumento ducto ex *L. cit. 8. C. quib. vt indign.*

indign. Rescripsit GORDIANVS: *Alia Causa est eius, qui falsi instituta actione, ad finem usque, quod insimulabat, perduxit et contrariam sententiam meruit: alia eius, qui inchoatam accusationem non pertulit, cum in illius quidem partem succedat fficus: hic autem, qui contrariam iudicis sententiam non sustinuit, suae partis non perdat persecutionem.* Neque in hoc capite alia causa tractatur, quam quae in priori. Et quamuis generalibus verbis utatur GORDIANVS, tamen semper secundum iuris ordinem atque legum rationem interpretanda. Jam ad dissentientem.

§. VI.

Dissentit vero a Jafone et aliis VAVDVS *Var. Quaest. Jur. Civ. c. l.* negat, amittere debere filium portionem suam legitimam, quamuis prius contra testamentum patris falsi accusatione egerat. Ducit argumentum ex *L. 14. C. de inoffic. testam.* Rescripsit Prisco GORDIANVS: *Eum, qui inofficiosi querelam delatam non tenuit, a falsi accusatione non submoueri placuit. Idem obseruatur, et si e contrario falsi crimine instituto victus, postea de inofficioso actionem exercere maluerit.* Concludit: si victo integra sit querela inofficiosi, petere posse adhuc legitimam. Sed nec VAVDVS me iudice propositam speciem ex hac lege probabit. Nam in eo rescripto de exheredato filio agitur, qui prius falsi accusare malebat, quam querelam inofficiosi instituere. At in proposita quaestione filius heres scriptus in legitima portione, et sic vel hereditatis petitione agere debebat, vel si coheres agnitus esset, familiae eriscundae cum coherede: et an posset, quaerebatur. Neque me confirmat argumentum ductum ex sententia MODESTINI in *L. 47. ff. de hered. pet.* ad quam prouocauerat VAVDVS. Scriptum est in *c. l. Lucius Titius cum in falsi testamenti propinqui accusatione non obtruerit: quaero, an de non iure facto nec signato testamento querela illa competere possit: Respondit, non ideo repelli ab intentio-*



ne non iure facti testamenti, quod in falsi accusatione non obtinuerit. Neque ex hoc responso Modestini patet, Lucium Titium in illo testamento simul heredem scriptum: neque de portione legitima filio non eripienda sermo. Quae cum ita sint, alia argumenta pro hac sententia adferenda.

§. VII.


Diximus, iam filium portionem suam legitimam capere non ex iudicio patris testatoris, neque ex eius liberalitate, sed ex lege ipsa, quae ne quidem patri arbitrium reliquit plane liberum, uti antiquitus habuerat, utrum relinquere vellet, an mallet exheredare; sed quae causas determinauit, ex quibus adimere filio posset hanc portionem. Et recte scribit VAUDVS: Quis ambigat, et cessante parentis iudicio ad legitimae petitionem admittendum filium. Dein supra monuimus, in querela inofficiosi filium iniuriam esse in patrem, recte quaestio mouenda, an et falsi iudicio contra testamentum patris instituto iniuriam patri inferat filius, licet dein non obtineat. Neque dubitandum est, in accusatione falsi nunquam iniuriam patri inferri a filio. Nam si falsum sit dictum, absque dubio adferitur, vel corruptum ab alio, vel etiam suppositum fuisse testamentum, neutiquam a patre. Cum itaque iniurius in patrem non sit, quamuis falsi agat contra testamentum eius, consequi liceat, non adesse causam, cur legitimam illam portionem ab intestato debitam filio negemus. Neque obstat *L. 2. C. de his quibus ut indign.* quippe in illa lege non de portione legitimae disponitur, sed de ea hereditatis portione, quam pupillus non ex patris testamento, sed ex testamento tertii consequetur. Ex his argumentis verior mihi videtur Vaudi sententia.

T A N T V M.

VD 18

ULB Halle 3
007 208 200





8672

1770, 33.

QVAESTIO CONTROVERSA

AN

FILIVS QVI TESTAMEN-
TVM PATRIS FALSVM DIXERIT
EXCLVDATVR A PORTIONE
LEGITIMA SI NON OB-
TINVERIT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE II. APRIL. ANNO CIDIICCLXX.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTOPH. GOTTHELF LEBR. NIETZSCHE

BIEBRA THVRING.

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.

